

Hermann Heltberg Martin Bambanius


Exercitationum Logicarum IV. De Antepredicamentis

Rostochi[i]: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729110397>

Druck Freier  Zugang






57

R. U. phil. 1609. 10.

12 9/16

35 1717





R. U. phil. 1670
6

Annunte & Benedicente Domino
Exercitationum Logicarum
I V.

DE ANTEPRÆ-
DICAMENTIS.


Quam
In Inclita Rosarum Academia
PRÆSIDE
M. HERMANNO HELTBERGIO
Walsrodâ Lunæburgico.

Pro ingenij viribus erutabitur
MARTINVS BAMBAMIVS Pentzlinensis
Megapolitanus.

Ad diem III. Januar. Hora
& loco consuetis.



RostochI Typis Myliandrinis, Anno clj lcc X.



Reverendis, Clarissimis, pietate & omnis generis doctrinâ prestantissimis Viris,

Dn. BARTHOLOMÆO CELIO, Ecclesiæ Lucoviensis Pastori fidelissimo, propatri suo carissimo.

ET

Dn. JOANNI PEPLÆO, apud Dratovienses Verbi Dei ministro vigilantissimo,

NEC NON

Dn. NICOLAO BETULÆIO, Schlânæ à Concionibus fidelissimo.

ITEM

Dn. M. PETRO BAMBAMIO, Theologo optimo & Poëtæ Laureato Cæsario, Patri suo dilectissimo.

Dominis, Fautoribus, & Promotoribus suis

quovis tempore & locò plurimi faciendis, in felix novi anni auspiciis has exercitationis suæ Logices primitias offert, dicat, consecrat

Martinus Bambamius
Pentzlinensis.



Prooemium.



Vemadmodum Viatores, qui iter aliquod sunt ingressuri, ante ingressum ejusdem de quibusdam, quibus admoniti, eò melius in eodem versari, & ad propositum sibi terminum collimare possint, solliciti esse solent; ita etiam nobis, quibus Aristotelis Logicam breviter percurrere est animus, de quibusdam, quorum adminiculo eò dexterius illud ipsum præstare poterimus, prospicere volumus. Primò enim itineri nostro Logico quinque exercitationes præmisimus, duas de Philosophiæ, & duas de Logicæ naturâ & essentiâ, & unam de modis prædicandi, seu ut vulgò vocant de quinque Prædicabilibus. Restat itaque jam, ut iter nostrum Logicum ingrediamur & quid Aristoteles, & ejus interpretes tradant & præcipiant videamus. Fecit autem Aristoteles sui operis exordium à doctrina rerum seu Prædicamentorum, iisdemque quendam tractatum, quem de antepredicamentis inscripsit, ambiguitatem & variam significationem quarundam rerum enodantem, præmisit & anteposuit. Hujus igitur vestigijs insistentes, prius de Antepredicamentis, & postea de ipsis prædicamentis seu rebus, agemus.

Theorema Primum.

+ Commonefacientes ipsorum prædicamentorum.
+ Antepredicamenta sunt doctrina, ipsis prædicamentis non essentialis, ad ea tamen dextrè intelligenda multum conferens.

I. *Vt ij qui praclari alicujus Regis vel principis theatra spectare & ascendere contendunt, paululum antequam intromittantur in vestibulo subsistere & commorari tenentur: sic etiam nos qui eximium illud theatrum rerum, Principis Logicorum Aristotelis ascendere conamur, prius illius vestibulum salutare, & in eo aliquantulum commorari cogimur. Pramisit enim Philosophorum princeps Aristoteles doctrina sua de rebus tractatum aliquem seu praludium aliquod, ad eam benè & dextrè cognoscendam plurimum faciens, & nobis alijsve Aristotelica Logica amatoribus inserviens.*

II. *Hanc igitur antequam ad reliqua ab Aristotele tradita progrediamur, aliquantò altius repetere & unam de eadem exercitationem instituere est animus.*

*Definimus autem hoc praludium seu hunc Aristotelis tractatum, quod sit doctrina ipsis predicamentis non essentialis, ut hoc modo à doctrina ipsarum rerum & ipsas res continente distingua-
Ante predicamenta sunt commonefactiones ipsarum rerum sive predicamentorum.* *tur. Non enim eo animo ab Aristotele hac doctrina est proposita, ut essentialis doctrina de rebus, sed ut quadam commentatio seu commonefactio de ijs esset, qua nos ad ambiguitatē & variam quarundam rerum acceptionem & significationem intelligendam redderent aptiores.*

III. *His ita dictis, quemlibet quid de hac doctrinā antepredicamentali sentire & tenere debeat facile colligere & intelligere non dubitamus. Cognita enim alicujus disciplina essentiali declaratione & deinde ejusdem, quo valet & celebris est, usus enodatione, ipsam quoq; satis cognitam esse, manifestum est. Quod etiam in hujus doctrina declaratione quantam ad praesens institutum & negotium sufficere videtur, praestitimus. Primo enim his verbis: Antepredicamenta sunt doctrina praedicamentis ipsis non essentialis, ejusdem essentiam & naturam aliquo modo declaravimus. & deinde his verbis: ad ea tamen dextrè intelligenda plurimum conferens, ejusdem usum & utilitatem ostendimus.*
Proinde

Definitio

Proinde jam nihil ulterius tractandum esse putamus, quem ut quot antepredicamenta sint, & quoniam quodlibet eorundem usum obtineat, videamus & percipiamus

Theorema Secundum.

Antepredicamenta sunt tria, Definitio, Divisio, & Regula.

I. Expedita definitionis natura, consequens jam erit ut ad divisionem nos accingamus. Ubi in principio statim vos monemus, variè à varijs hunc tractatum fuisse divisum. Quidam enim, ut & nos, tres ejusdem partes, constituere voluere, Definitionem videlicet¹ Divisionem &² Regulam. Quibusdam verò septem antepredicamenta constituere placuit, tres videlicet definitiones, ut univocorum, æquivocorum & Denominativorum, duas divisiones, primam eorum quæ sunt, alteram eorum quæ dicuntur, & deniq; duas regulas. Ubi dicimus nos pro uno eodèq; æstimare, sive quis constituat septè in specie, sive tria antepredicamenta in genere. Res n. una eademq; manet, & una eademq; in quavis sententia divisio, modò cuilibet sententia & opinioni justa & conveniens adhibeatur enodatio.

II. Nos enim quando tria antepredicamenta esse asserimus septenarium aliorum numerum non tollimus & negamus. Per definitionem enim in genere, definitionem Univocorum, & æquivocorum, & Denominativorum, volumus intellectam. Atq; hac ratione unico vocabulo brevitatis studio ducti, tres definitiones exprimere voluimus, ut sensus esse possit, antepredicamenta generaliter considerata, tria constitui possunt, Definitio, ita tamen ut vocabulo definitionis definitio æquivocorum, univocorum, & Denominativorum in genere exprimatur: Divisio, ita tamen ut divisio & eorum quæ sunt, & eorum quæ dicuntur subintelligatur.

A 3

& Re-

DIVISIO ANTE PREDICAMENTORUM.

Per Trinarium numerum Septenarium non tollimus.

p definitionem huius
termini, ego. & denomi
nativum. 1, 1, 1,
& divisionem eorum
ff. & eorum q. d. n. r.
p regulam, aut de
attributo & de disti
ctione. 1, 1, ff. 7.

Regula, ita tamen ut regula de attributo & de diversis generi
bus non subalternatim possit unico hoc vocabulo efferatur.

III. Ex quo facile colligere est nos numerum septenarium non
tollere, sed potius eundem confirmare, si modo attendatur quid
per singula divisionis verba velimus exhibitum & intellectum.
Eodem etiam modo & vice versa aliorum Philosophorum, ante
pradicamentorum numerum septenarium constituentium senten
tia corroborari & ad trinarium numerum redigi potest, si tres
definitiones sub uno nomine contentas proferamus, & duas divi
siones unico vocabulo contentas adducamus, & deniq. duas regu
las unius regula nomine inclusas declaremus. Poterit itaq. quis
septem antepredicamenta esse, poterit itidem tria tantum esse af
ferere & affirmare si modo eo quo nostra est corroborata sententia,
suam corroboraverit modo.

Theorema Tertium.

Definitio aut est æquivocorum, aut uni
vocorum, aut denominativorum.

I. Hunc ordinem observat Aristoteles in doctrinâ suâ ante
predicamentali, incipiendo videlicet à doctrinâ definitionis, æqui
vocorum, univocorum & denominativorum, ut apud ipsum lib. 1.
Categor: cap. 1. videre poterimus. Rationem autem ob quam
Aristoteles tali ordine progredi & procedere debuerit affert Franc.
Tolet: quando predicamenta triplici posse modo considerari & ad
se invicem comparari asserit. 1. Primò enim modo dicit predica
menta considerari posse ratione ipsius Entis, cujus species & mem
bra esse possunt, eo quo proximâ disputatione dictum est modo.
2. Deinde unumquodq. predicamentum respectu suorum inferiorum,
ut quando substantia consideratur respectu corporis animalis &c.

Tertio

Rationem autem
tali ordine progredi
debetur.

3. Tertiò primum predicamentum substantia videlicet ad reliqua novem, & vice versa novem respectu primi. Ex hoc respectu & diversa hac comparatione Franciscus Tolet. harum trium definitionum ordinem & necessitatem astruere & asserere conatur. Primo enim quando predicamenta cum ipso Ente, cujus aliquò modo species appellitari possunt comparantur, tunc in ijs quandam equivocationem oriri dicit, cum Ens ad decem ista summa genera seu predicamenta habeat se equivocè hoc est induat naturam generis equivoci, ut Porphyrius in tractatu suo de modis predicandi monuit. Secundo verò modo quando predicamenta comparantur univocorum naturam exinde emanare & provenire asserit Tolet: Universale enim seu generalissimum & summum in aliquo genere Entis ad sua inferiora collatum induit naturam generis univoci & de iisdem univocè predicari potest, ut hoc ipsum in proximâ precedenti disputatione fuit declaratum. Tertiò modo quando considerantur & comparantur predicamenta, omnia ex illâ comparatione respectu primi & vice versa denominativorum naturam induere autor est Franciscus Tolet: lib. i. categor. cap. i.

II. Sunt autem æquivocâ quorum solum nomen commune est, secundum nomen verò illud accommodata definitio seu ratio substantiæ diversa.

Dicimus æquivoca solo nomine convenire, & unū idemq; nomen in utroq; retineri, ut in homine picto, & homine vero manifestum evadit. Hæc enim duo Entia hæc ratione conveniunt, ut nomen suscipiant, & hominis notione & nomine veniant. Verumq; enim & verum & pictum hominem nominò. Dicimus deinde æquivoca secundum illud nomen accommodatam definitionem seu substantiæ rationem habere diversam, ut in exemplo modò allato erit manifestum. Quando enim utrumq; definitio, quodlibet eorum peculiarem assumit definitionem, & nihil nisi solum nomen commune habent. Homo enim verus definitur animal rationale.

æquivoca quædam
sunt sive omni
vocat?

nale: homo verò pictus definitur tantum imago veri hominis, ab artifice quodam, qui veri hominis naturam imitatus est, efformata. In hoc allato exemplo equivocorum ab Aristotele tradita, & hic à nobis repetita definitio fit manifesta. Primò enim hac duo Entia homo verus & homo pictus, solum nomen commune habent, & secundum illud nomen accommodatam definitionem diversam. Sic multis alijs exemplis equivocorum naturam, ut canis modò sydus cæleste, modò animal terrestre significanti: item spiritus modò spiritum sanctum tertiam. S. S. trinitatis personam, modò animam hominis; modò ventum denotanti, possemus declarare, nisi ad reliqua ante predicamenta nobis jam esset accedendum. Legatur Aristotel. lib. I. categor. cap. I. Jacob. Martin. Disputat. Domest. Logic. 3. thes. 9. Regius pblor libro 2. folio 347, 348, 349, 350, 351, 352, 353, 354, 355 usq. ad 362 numerum.

UNIVOCA quæ
nam sunt
ve equivocis

II. Ab equivocis igitur ad univoca declaranda, iusto jam ordine cum Aristotele procedimus. Definit autem Aristoteles univoca, quæ & nomen commune habent, & secundum illud nomen accommodatam definitionem eandem. Ex equivocorum definitione univocorum ratio aliquo modo est manifesta. Univoca enim eodem modo quo equivoca, nomen commune habent. Sic Homo & Leo univoca sunt, & commune nomen habent videlicet animalis. Hoc enim nomine conveniunt eque ac equivoca, cum & Homo & Leo animalia rectè dicantur. Differunt autem hac ratione univoca ab equivocis, quod illa tantum solum nomen commune habeant, & non definitionem secundum illud nomen applicatam eandem: hac vero non solo nomine communi, sed etiam substantia ratione equali gaudeant. ^{univoca} Vterq. enim & homo & Leo animal dicitur, & etiam definitur. Sic Paulus, Jacobus, Henricus, Hermannus, imò omnia his similia invidua, ratione hominis univoca sunt, quia nomen habent idem, & secundum illud nomen accommodatam substantia

univoca quæ
ab equivocis

Tam de Petro paulo &c. p. p. dicitur q. sint hoies q. d. rationem
Henricus & conradus. &c.

rationem eandem. Reg: disput: Log. lib. 2. probl. 2. Greg.
Horst. Instit: Log: lib: i. tract: 2. cap. 1.

IV. Denominativa sunt quaecumq; ab aliquo, ita ut differant
casu, appellationem habent. Dicimus denominativa ab aliquo
appellationem habere, ut Physicus à Physica appellationem habet,
quia propter Physicam seu qualitatem & scientiam illam corpo-
rum naturalium aliquis dicitur physicus: Sic Logicus à Logica
denominationem & appellationem accipit suam. Propter Logi-
cam enim seu facultatem bene ratiocinandi, quis Logicus dicitur
& denominatur. Dicimus deinde, denominativa ita ab alio ap-
pellationem habere, ut casu hoc est, sine ab eodem differant & di-
screpent, principio verò cum illo conveniant. Sic Physicus in
principio cum Physica convenit, in fine verò ab eadem differt, &
alienus est. Physica enim formam & naturam aliquam simpli-
cem & absolutam; Physicus verò & naturam illam absolutam
& subjectum illud in quo eadem forma & natura inheret simul
denotat & significat. Atq; hac brevis est trium definitionum
antepredicamentorum declaratio, quae usum & utilitatem ear-
undem secum affert & innuit maximam. Prima enim ea est
utilitas ut ostendat, & nos admoneat res eà expressas quat: tales
non posse in certum aliquod predicamentorum genus, antequam
distinguantur, & cuilibet sua definitio attribuatur collocari &
reponi. Secunda ea est utilitas, ut ejus admonitione & ductu in-
telligamus, quasnam res in predicamentis collocare & reponere
debeamus, & quid Univoci termini sint, & totam predicamen-
torum seriem ex univocis constare debere, discamus. Tertia de-
niq; ea est utilitas, ut ex eà, Denominativum quat: utrumq; si-
mul significat & denotat in nullo predicamento posse collocari, &
si quae sunt alia, ad predicamentorum naturam cognoscendam sa-
cientia, discamus. Franciscus Tolet: lib. i. in categor:
Aristotelis cap. i. Regius lib. 2. Disputation. Logicar.
probl. 2. crellis lib. 1. part. i. unum: de categ: fol. 49.

Denominativa
sive taxativa
non sunt.

ut
fortitudo
et fortis
Albedo
albus
Grammatica
grammaticus

Conclusio trium
definitionum ante-
predicamentorum
& eor. utilitates:
1. utilitas appropo-
corum.

2. utilitas univocae

3. utilitas deno-
minativorum.

ad primam
neq; equivoca donec
maneat equivoca
ea sunt in nullo
predicamento.

B

Theore-

Theorema Quartum.

Divisio aut est eorum ^{Entium} quæ dicuntur, aut eorum quæ sunt.

I. Postquam cum Philosopho & ejusdem interpretibus definitionem seu primum antepredicamentum sumus contemplati: jam cum iisdem ad divisionis doctrinam enodandam & cognoscendam descēdamus. Solent autem duplicem ut ex Theoremate presenti constat, Philosophi cum Aristotele lib. 1. categ. cap. 2. afferre divisionem, unam eorum Entium seu rerum quæ dicuntur, alteram verò eorum quæ sunt. Francisc. Tolet. lib. 1. categor. Arist. cap. 2. Regius lib. 2. disput. Log. probl. 2. Jacob. Mart. Disput. Logic. Domestic. disput. 4. thes. 13.

Eorum Entium quæ dicuntur, sunt etiam quædam cum complexione, & quædam sine complexione.

II. Eorum autem quæ dicuntur dicit Aristotel quædam cum complexione, quædam sine complexione dicuntur. Ad declaranda hæc Aristotelis verba dicimus, cum complexione dici est, quando non unus aliquis terminus simplex solus, sed cum conjunctione & complicatione alterius profertur, ut quando dico: Ignis urit: Homo vivit Hic enim non unus aliquis terminus simplex & solus, ut ignis, sed cum complexione seu combinatione alterius, videlicet urit, profertur. Sic homo non solum, sed cum alio termino videlicet vivit conjunctus profertur. Ex his apparet cum complexione dici nihil aliud esse, quam duos simplices terminos conjunctos simul proferre, ut in exemplis modò allatis alijsq; innumeris evadit manifestum. Francisc. Tolet. lib. 1. categor. Aristotel. cap. 2. Jacobus Martin. Disput. Logic. Domestic. 3. thes. 13.

Cum complexione

III. Ex enodatione eorum quæ cum complexione dicuntur, facile intelligitur quanam ea sint quæ sine complexione dicuntur. Quemadmodum enim ibi duo termini simplices conjuncti simul proferruntur, & propterea complexè dici dicuntur: ita hîc à contrario

Sine complexione

vario sensu aliquis terminus simplex simpliciter & solus & non
 cum conjunctione alterius profertur & propterea incomplexè dici,
 dicitur. Ut quando dico. Homo, vivit, ignis, urit. Hic enim
 quilibet horum terminorum solus & incomplexè profertur. Ho-
 mo enim est simplex terminus, vivit est simplex terminus, ignis
 est simplex terminus, urit est simplex terminus omnesq; sine com-
 plexione dici & profertur dicuntur. Aristotel. lib. I. categor.
 cap. 2. Regius lib. 2. probl. Logic. cap. 2. crell. 51. lib. 1.
 17. Post absolutionem primæ Theorematis nostri partis, vi-
 delicet declarationem earum rerum quæ dicuntur, jam, ordine hoc
 ipsum postulante ad tractationem earum rerum quæ sunt cum
 Philoſopho procedemus. Facit autem Aristoteles lib. I. categor.
 cap. 2. ea quæ sunt quadruplicia. Primò enim dicit, quadam
 eorum quæ sunt de subjecto aliquo dicuntur, in subjecto verò nul-
 lo sunt, ut Homo, dicitur de quodam subjecto videlicet Jacobo,
 non tamen inest Jacobo ut accidens. Ut autem eò melius quid
 hic per subjecti vocabulum quovis loco denotetur, percipiatis,
 distinguimus cum D. Gregorio Horſtio Institut. Logicar.
 lib. I. tract. 2. cap. I. inter subjectum predicationis & inha-
 rentia. Subjectum enim predicationis est quod superiori in ea-
 dem serie subijcitur, seu prima enunciationis alicujus pars, quæ
 vulgò subjecti nomine insignitur. Ut quando dico: Homo est
 animal: hic homo est subjectum, de quo animal tanquam sub-
 jecto predicationis dicitur. Subjectum verò inhaerentia est quod
 accidenti subijcitur, quo modo sola substantia omnibus acciden-
 tibus subjecti loco, in quo inhaerent, subijcitur. Secundo dicit
 Aristoteles quadam in subjecto aliquo sunt, sed de nullo subjecto
 dicuntur: ut hic color, hac albedo in aliquo subjecto, vel homine
 puta petro, paulo sunt, tanquam subjecto inhaerentia: de nullo
 autem subjecto videlicet Predicationis dicuntur. Non enim dico
 Petrus est hic color vel hac albedo. Tertio loco dicit Aristoteles
 quadam in subjecto sunt scilic. inhaerentia, & de subjecto dicuntur
 scilicet

Earum rerum sipe
 Entium Earum que
 sunt.

Earum rerum que
 sunt quadruplici-
 ter sunt.

Subjectum aliud
 predicationis ali-
 quæ inhaerentia.
 PREDICATIONIS. I.

INHAERENTIA. 2

1

2

3

Prædicationis. Vt scientia inest subjecto videlicet animo hominis, & dicitur de subjecto videlicet Physica. Rectè enim dico Physica est scientia. Quarto deniq; dicit Aristoteles; quædam neq; subjecto insunt scilicet inherentiæ neq; de subjecto dicuntur videlicet prædicationis. Atq; huc vulgò referre solent individua, ut Petrum, Hermannum, Jacobum, Reinholdum. Hæc enim individua non insunt, seu inhaerent alicui subjecto ut accidentia, sed substantia sunt & existunt, neq; de subjecto dicuntur aliquo scilic. prædicationis, vel quod idem est nunquam sunt prædicatum in aliqua Enunciatione. Aristoteles lib. I. categ. cap. 2. Gregorius Horst. Instit. Logicar. lib. I. tract. 2. cap. I.

Usum seu uilitatem si quis scire, quam ex hoc antepredicamento haurire possumus desiderat, legat Regium lib. 2. probl. Logic. probl. 2.

Theorema Quintum.

Regula aut¹ est de subjecto: aut² est de diuersis generibus & non subalternatim positis.

I. Respiciendum jam nobis est ad Theorema secundum, in quo antepredicamenta tria esse asseueramus, Definitionem videlicet, diuisionem & regulam. Sed quia hæcenus de duobus prioribus à nobis fuit actum & disputatum, conueniens ut ad ultimum jam antepredicamentum descendamus arbitramur. Dicunt autem Aristotelis interpretes, ultimum antepredicamentum seu regulam esse aut¹ de subjecto, aut² de diuersis Generibus, & non subalternatim positis. Regula autem de subjecto Aristot. lib. I. categor. c. 3. definitionē affert talē: Quando alterum de altero prædicatur, ut de subjecto. quæcunq; de eo, quod prædicatur,

Regula de subjecto definitio est.

dicatur, dicuntur, omnia etiam de subjecto dicuntur, pro de-
claratione hujus regule adducimus hanc predicationem: Homo
est animal Hic enim animal predicatur de homine tanquam
subjecto. Homo enim predicatum, animal verò subjectum est.
Quicquid igitur jam de animali tanquam de predicato, id etiam
omne de homine tanquam subjecto dicere possum. Exemplo res
erit manifesta; quando dico; animal est substantia vivens &
sentiens, rectè etiam dicere: Homo est substantia vivens & sen-
tiens possum. Gregorius Horst, Institut. Logic. lib. I. tract.
2. cap. I.

II. Regulam secundam cum Aristotelis interpretibus poni-
mus talem. Diversorum generum, & non subalternatim
positorum diversæ sunt species. Non putamus melius hanc
regulam, & sensum ejusdem quam per exemplum aliquod enodari
& explicari posse, cum Aristoteles ipse in his & alijs similibus
eundem modum observaverit & coluerit. Verbi igitur causa
quando dico, Animal, scientia sunt diversa genera & non sub-
alternatim posita hoc est ex eadem predicamentali serie desumpta.
Horum itaq; diversæ erunt species. Animalis enim species qua
ad predicamentum substantie pertinent sunt hæ; Homo, Leo:
scientia verò species qua ad predicamentum qualitatis spectant
sunt, Physica, Metaphysica, & Mathematica. Atq; hac de
doctrinâ antepredicamentali, cum Aristotele, Regio lib. I.
Disput. Logic. probl. 2. Jacob. Martin. Disput. Logic.
Domest. 3. thes. 13. Gregorio Horst. Institut. Logic. lib. I.
tract. 2. cap. I. prælibare voluimus. Plura autem de his
qui scire desiderat, eum ad Aristotelem ipsum, & ejusdem inter-
pretem optimum Francisc. Tolet. volumus remissum.

Regula de diversis
generibus definitio
Def.

Corollaria.

I.

An doctrina hac Antepredicamentalis sit utilis & necessaria? Aff.

II.

An doctrina Æquivocorum, Univocorum & Denominativorum ad Grammaticam & non ad Logicam pertineat? N.

III.

An solus DEVS & intelligentia re & ratione à materiä, & non alia etiam Entia separata? Aff. prius negat. post.

IV.

Anne ergò qui Ens re & ratione à materia separatum facit objectum Metaphysica solum tantum DEVM & intelligentias ejusdem objectum esse asserat? Aff.

V.

An DEVS & intelligentia sint adequatum Metaphysices objectum? N.

EPI

Epigramma.

*Ad ornatissimum & Doctissimum
Juvenem*

MARTINVM BAMBAMIUM.

E^{ξ&σν} MARTINE, tuam Tritonia diva,
(HELTBERGIO quam præside
Solerti plectrôq; oris, calamôq; tueris.)
Hic PALLAS ut conspexerat:
Solvisse in taleis sua dicitur ora loquelas,
Suo probans hanc calculo:
BAMBAM, ova, vates; non degener est tibi Gnatus;
Præsens id (inter cætera)
Declarat non obscure Melètema; propugnat
Quod impigro conamine.
Illius ergò tibi pulchra orsa probentur & ausa,
Patriſſat ecce, fat benè.
Hæc PALLAS, tantæ placeant suffragia divæ,
Tibi, MARTINE candide,
Et quo cæpisti cursu perge acriter usque
Magni Parentis æmulus:
Te quoq; virgineo PALLAS sic inseret albo,
Palmaeq; reddet compotem.

Eupolis eveng. f.

M. FLORIANVS CHENOBOSCVS,
Francus L.

ALI-


Aliud.


DVM, quò divitias fulgo sibi congerat auro
Mercator, Ponti seva pericla subit:
Dum; quò per dubij certamina Martis honores
Miles lucretur, vulnera nulla timet:
Alter dum vigili noctesq; diesq; labore
Corradit culti jugera magna soli:
Aonijs tu Te, Bambani, proluis undis
Et tibi sic ditis nomina vera paras.
Cresci posthabitis opibus, tibi munera quaris,
Nullo, dum vives, interitura die;
Munera qua portes tecum per saxa, per ignes,
Quis pollens alià nullus egebis ope.
Perge, uti capisti, conatus JOVA beabit;
Hinc caput ornabunt floridaserta tuum.
Perge ita, sic poteris doctrina aquare Parentem,
Phœbus quem, trina ter celebrantq; DEÆ.


Vera Amicitia declaranda ergo f.

JOACHIMUS TRAGANDER.
Grimm, Pomm.









306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis: & natura: nunquam vero corrumpitur: & nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem, concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia sunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.

Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se in corpore, sed semper extra corpus existit.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore esse. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unionem.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione essentia, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart T263 Serial No.

Patch Reference numbers on UTT